

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes  
aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regularum Philosophicarum Disputatio XV. continens Regulas VII.  
pertinentes ad doctrinam Divisionis five Distributionis

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

DIVISIONIS sive DISTRIBUTIONIS.  
REGULA I.

*Divisum & omnia membra divisionis simul sumta, debent inter se adæquari.*

I.

**D**Uobus modis accidit, divisū & membra divisionis simul sumta non adæquari: I. Quando aliquid in divisō continetur, quod in membris dividētibus non continetur: ut si dicas, *animalium aliud habet alas continuas, aliud scissas*, datur enim animal quod nec continuas habet, nec scissas, quia scil. nullas habet, ut bos. In idem vitium incidēs, si corporis humani partes dicas esse tres, *ventrem supremum nimirum, medium & infimum*. Nam in corpore humano continetur etiam artus, qui inter membra hujus divisionis non recensetur II, Quando in

mem:

membris dividendis continetur aliquid, quod non continetur in divisō: ut, si *animal* dividas in *hominem, brutum & plantam*; planta enim sub animali non continetur. Vult igitur Regula, omnia quæ in vel sub divisō continentur, debere etiam contineri in vel sub membris dividendis, & vice versâ

II. Obstare videtur, quod Physica dividitur in partem communem & propriam, quæ tamen duo membra simul sumpta non æquantur Physicæ, sed extra eam patent, cum etiam Logica soleat dividi in partem communem & propriam. Item hujus divisionis, alborum quædam sunt dura, quædam mollia, quædam liquentia; membra simul sumpta latius patent quàm album, quia etiam atrorum quædam dura sunt, ut ferrum, quædam mollia, ut pix, quædam liquentia, aut atramentum.

III. Resp. Cum Fonseca *Lib. IV. Inst. c. X.* in divisionibus hujusmodi ipsum divisiū in singulis membris debere exprimi, aut certè subintelligi. Unde cum Physica dividitur in partem communem & propriam, membra dividenda non sunt simpliciter pars communis & propria, sed pars Physicæ communis, & pars Physicæ propria. Hòc modò membra ista Logicæ non competunt, quia Logica dividi nequit in partem Physicæ communem, & partem Physicæ propriam. Eadem ratio est etiam posterioris divisionis: nam molle, durū

Aaa

&amp;

& liquens conveniunt quidem atris, sed si ipsum, divisum subintelligatur, ita ut membra sint, album durum, album molle, & album liquens, jam atro non conveniunt, nec extra album, patent.

IV. Dicitur etiam potest, partem communem & propriam, quæ Physicæ tribuuntur, cum Logicæ etiam applicantur, non esse eadem membra, quia æquivocè hisce diversis disciplinis tribuuntur, ut patet ex earum definitionibus. Nam si Physicam, divides in partem communem & propriam, pars communis dicitur, in qua agitur de corpore naturali in genere, pars propria autem, in qua agitur de speciebus corporis naturalis. Hæ definitiones non competunt parti communi & propriæ, quando hæc vocabula Logicæ dividendæ accommodantur. Sicigitur nego, cum Physica in partem communem & propriam dividitur, membra hujus divisionis Logicæ competere: quæ enim æquivoca sunt, pro iisdem non habentur.

### REGULA II.

*Divisum plus debet continere, quàm singula membra divisionis.*

Vel:

*Singula membra divisionis minùs continent, quàm divisum.*

I. Ita cum animal dividitur in hominem & brutum, plus continet animal, quàm homo, quia præter hominem continet etiam brutum; plus etiam

iam co  
contina  
in corp  
homo,  
net & a  
quia pr  
III.  
jus bon  
tione ip  
le; prior  
homo, c  
nem &  
Reg. seq

Membr

I. Ita  
Návra y  
animal  
non pos  
ut ibi ha  
mul alb  
reprehen  
teriam  
instrum  
sed sub  
II. I

isam continet quàm brutum, quia præter brutum continet hominem. Sic & cum homo dividitur in corpus & animam rationalem, plus continet homo, quàm corpus, quia præter corpus continet & animam, plus etiam continet quàm anima, quia præter animam continet & corpus.

III. Obstat autem Regulæ videtur, quòd hujus bonæ divisionis: *Homnis altera pars, ratione ipsum componens, est animal, altera rationale;* prior pars, quæ animal est, plus continet quàm homo, qui hinc dividitur: continet enim & hominem & brutum. Verùm ad hanc objectionem, *Reg. sequ.* respondebimus.

## REGULA III.

*Membra divisionis debent inter se esse opposita.*

I. Ita expressè Philosophus X. *Metaph. c. XI.* Πάντα γὰρ διασπείρα τῶς ἀντικειμένων. Et I. *de part. animal. c. III.* τῶς ἀντικειμένων γὰρ διασπείν. Ita non possunt dividi animalia in alba & natantia ut ibi habet Aristoteles, quia natans potest esse simul album. Ita Scaliger II. *de plant. pag. 420.* reprehendit divisionem causæ in efficientem, materiam, formam, finem & instrumentum, quòd instrumentum non opponatur causæ efficienti, sed sub eâ contineatur.

II. Importat igitur hæc Regula, ut ne unum

membrum divisionis sub alterò contineatur, (quorum enim unum sub alterò continetur, illa non opponantur) quemadmodum per *precedent.* *Reg.* docemur, divisum non debere contineri sub aliquâ parte dividente. Quod si enim sub parte aliquâ ipsam divisum contineretur, jam illa pars non contineret minus, quàm ipsum divisum, quia sub diviso continentur omnes partes dividentes.

III. Verùm hîc objicitur: I. Ens dividitur ita, ut dicatur accipi dupliciter: *Nominaliter & participialiter*, & tamen hîc unum membrum sub alterò continetur, cùm ens participialiter sumtum contineatur sub ente nominaliter sumtò, sicut *Metaphysici* docent. Eadem ratio est, quod nomen *substantia* ita distinguitur, ut interdum accipitur latè, pro essentiâ, quomodo etiam accidentibus convenit: interdum strictius, ut opponitur accidenti; & tamen substantia, sumta ut opponitur accidenti, continetur sub substantiâ, ut sumitur generaliter pro essentiâ.

IV. II. Divisio, quâ bonum in honestum, jucundum & utile distribuitur, approbata est tantquam bona; & tamen membra ejus non opponuntur, siquidem eadem actio potest esse utilis, jucunda & honesta.

V. III. Aristoteles dividit substantiâ in materiam, formam & compositum; Compositum tamen, tanquâ membrum divisionis, continet in se reliqua nempe materiam & formam: constituitur enim compositum ex materiâ & formâ. VI.

VI. IV. Arguitur simul contra præsentem & præcedentem *Regulam*: Prædicabile dividitur in genus, speciem, differentiam, proprium & accidens; & tamen ipsum divisum continetur sub aliquo membrò dividente, scilicet genere, quia prædicabile est genus respectu generis, speciei, & reliquorum prædicabilium; & hoc est contra præced. Reg. Item omnia membra hujus divisionis continentur sub unò membrò, nempe specie, nam genus, species, differentia, proprium & accidens sunt species ipsius prædicabilis. Eadem difficultas videtur occurrere in oppositis, ubi & ipsū divisū & membra divisionis sub uno membro, nempe relative oppositis, continentur. Nam ipsum divisū, oppositū scilicet, est relative oppositum: est enim oppositum opposito oppositum, & contrariū est contrario contrarium, contradictoriū contradictorio contradictorium, &c. sicq; aliæ oppositionis species sub relative oppositis continentur.

VII. V. In divisionibus substantiarum in species aut differentias substantiales membra divisionis non opponuntur; quia non opponuntur relative, quia non consistunt in mutuâ *exclusiōe* aut *habitudine*: ut patet de rationali & irrationali, quæ sunt differentia animal dividentes, nec sunt privative aut contradictorie opposita, cum quælibet harum differentiarum aut specierum sit aliquid positivum: nec denique ut contraria, quia substantiis nihil est contrarium.

II. VI. Oppositio est tantum inter duo, ut patet ex Aristotele *X. Metaph.* Sed membra divisionis sæpè plura sunt, quàm duo. E. inter ea sæpè non est oppositio.

IX. Ad I. Resp. Regulam intelligendam esse, de *veris divisionibus*; quæ sunt rerum, ut quibus genus dividitur in species. In hisce unum membrum divisionis non debet contineri sub altero. At de distinctionibus vocabulorum æquivocorū in sua æquivocata alia est ratio. Ut enim hæ non sunt propriè divisiones, ita non mirum est, si non quadrant ad rigorem Regularum veræ divisionis. In illis cerrè unum membrum distinctionis potest sub altero contineri: id quod probatur argumentò §. III. propositò. Sunt enim illa non veræ divisiones, sed distinctiones vocabulorū; possetq; illa res mille alijs exemplis ostendi.

X. Ad II. Respondet Fonseca *Lib. IV. Inst. c. III.* Repugnantiam membrorum dividendum sæpè penumerò non in verbis, sed in sensu, quo divisio usurpatur, sitam esse: ut in illà Pythagoræ divisione: *eorum, qui ad ludos Græciæ confluebant, quidam spe victorie, alii questum faciendi cupiditate, alii visendi studio ducebantur.* Hic quod verba attinet, nulla est membrorum dividendum repugnantia: fieri enim potuit, ut multi & lucri cupiditate, & spectandi simul studiò ducerentur. In sensu tamen cernitur repugnantia, si hoc modo divisionem interpreteris: *Eorum, qui ad Græciæ ludos*

*ludos non spe victorie, nulli studio terit proposita habent tantum dicuntur*

XI. jectum se conti cillim c aliquo alia tuer ipsum d modo s visum, contine nimiru membr bra acti sum, ra bra divi tudineri pradic commu divisun bet. I tum te

*ludos unâ præcipuè de causâ confluebant, quidam spe victoriae, quidam lucri faciendo cupiditate, nonnulli studio visendi confluebant. Hâc ratione poterit probari divisio boni, & dici, membra esse opposita hoc sensu: Eorum, in quibus una aliqua bonitatis ratio potissimum elucet, quaedam utilitantum, quaedam honesta solum, alia jucunda tantum dicuntur.*

XI. Quantum ad III. id, quod *Reg. præc.* objectum fuit, dicimus, fieri posse, ut aliqua mutuo se contineant, ut A. v. g. contineatur à B. & B. vicissim contineatur ab A. sed diverso modo. Sub aliquo membro divisionis nec ipsum divisum, nec alia membra debent contineri eodem modo, quo ipsum divisum membra continet; diverso tamè modo si fiat, nihil absurdi est. Quando igitur divisum, tanquam totum essentiale aut integrale, continet in se membra divisionis actu, (quoniam nimirum actu ex illis constituitur) unum illorum membrorum nec divisum ipsum, nec alia membra actu continere potest. Quando autem divisum, tanquam totum universale, continet membra divisionis potestate tantum, & quoad amplitudinem prædicationis, (quia scilicet de singulis prædicatur, tanquam magis commune de minoribus communibus) nullum membrum divisionis ipsum divisum & alia membra hoc modo continere debet. Et ex hisce patet Responsio ad argumentum tertium, & ad id, quod *Reg. præced.* obji-

ciebatur, nempe: Substantia, tanquam divisum, continet materiam, formam, & compositum per modum generis, & sic potentiâ & amplitudine prædicationis, quia de illis omnibus prædicatur. Hoc modo compositum non continet materiam & formam, quia de illis non prædicatur. Continet igitur compositum materiam & formam actu, quatenus ex his constituitur: qui est diversus continendi modus ab eo, quo substantia; tanquam divisum, ista omnia membra continet. Ita homo, tanquam totum essentialiter physicum, continet actu in se animal & rationale, & sic actu plus continet, quam animal, quia animal non continet actu in se rationale; quod autem animal plus continet, quam homo, sit diverso modo, quia continet plus potentiâ & amplitudine prædicationis, cum & de homine ipso prædicatur, & de brutis, de quibus homo non prædicatur.

XII. Similiter quando divisum continet membra essentialiter, quia scilicet de illis essentialiter prædicatur, non potest fieri, ut unum membrum vel ipsum divisum, vel alia membra hoc modo contineat. At absurdum esse non videtur, si sub membro aliquo divisum ipsum, aut alia membra contineantur accidentaliter. Ex quo sumi potest responsio ad argumentum IV. Prædicabile enim, tanquam divisum, continet sub se genus, species, differentiam, proprium ad accidens essentialiter, quia de illis per modum generis prædicatur; con-

tinetur v  
est genus  
dum gen  
bilis con  
cies ipsi  
Hæc eni  
que præ  
prædicat  
sentialis  
que præ  
es & præ  
bilis, &  
atque cu  
albedine  
modand  
Nam co  
torie o  
sub opp  
cum opp  
cantur,  
in suâ la  
tum, & c  
& accid  
XIII  
ita accip  
rum un  
XIV  
trariet  
tia, & c

tinetur verò etiam prædicabile sub genere, quia est genus eorum, sive, ut diximus, de illis per modum generis prædicatur; omnia etiam prædicabilia continentur sub specie, quia sunt omnes species ipsius prædicabilis: at hoc fit accidentaliter. Hæc enim prædicatio: *Prædicabile est genus quinque prædicabilium*, est accidentalis, cum omnis prædicatio essentialis sit de omni. Si igitur essentialis esset, omne prædicabile esset genus quinque prædicabilium. Ita cum dico: *Genus est species & prædicabilis, & c.* æque prædicationes accidentales sunt, atque cum dico: *Hominem esse speciem animalis albedinem speciem coloris*. Eadè responsio accommodanda etiam est ad objectionem de oppositis. Nam contrariè, relativè, privativè & contradictoriè opposita, formaliter sumpta, continentur sub oppositis, tanquam species sub genere, & ita cum opposita generaliter accepta de illis prædicantur, est prædicatio essentialis. At oppositum in suâ latitudine dicitur oppositum relativè oppositum, & contrarium contrariè relativè oppositum, & accidentaliter.

XIII. Ad V. & VI. potest dici, opposita hæc ita accipi, ut etiam disparata complectantur, quorum unum pluribus repugnat.

XIV. Ad V. in specie etiam respondetur, *contrarietatem esse duplicem: Quædam est imperfecta, & est maxima distantia rerum sub eodem ge-*

nerē, inter quas datur motus physicus seu transmutatio successiva. Quædam est imperfecta, & est maxima distantia rerum sub eodem genere. Et hęc modõ contraria sũnt, quæcunque specie differunt sub eodem genere. Substantia non est substantia contraria contrarietate perfectã, quæ contraria sunt, ab Augustino Nipho *X. Met. q. VI. c. IV.* vocantur *contraria secundum rationem physicam*: & hoc modo sumit contraria Aristoteles in prædicamentis. Substantia tamen una alteri contraria est contrarietate imperfectã, quæ contraria sunt, Niphus vocat *contraria secundum rationem Metaphysicam*: quomodo sumit Aristoteles contraria *L. X. Metaph.* Vide Aug. Niphum *L. cit. & Soncinatem L. eod. Qu. XXIV.*

XV: Ad VI. speciatim dici potest, opposita ita accipi, ut etiam complectantur disparata. Aut dicitur ita: licet sæpè sint plura membra divisionis, quàm duo, posse tamen illa per aliam divisionem & subdivisionem eò redigi, ut semper una differentia uni tantum respondeat. Dicit enim Soncinas *l. c.* omne genus dividi immediate duabus tantum differentiis. Ita prædicabiliũ quinq; constituuntur species, possunt autẽ eò redigi, ut semper una differentia unitantum in divisione respondeat, hoc vel simili modo, quod scilicet, quæ de pluribus prædicantur, prædicentur vel *essentialiter* vel *accidentaliter*: quæ essentialiter prædicantur, prædicentur vel *in quid*, vel *in quale*; quæque *in quid*, vel *de pluribus speciei differentiis*, uti præ-

prædicat  
different  
in quale  
Rursus,  
sario præ  
um, vel  
accidens

Divisio

I. Bi  
diatæ: I  
viso con  
tur: ut f  
datur en  
nec sub  
visi, qua  
mediate  
sum & p  
ptus, qu  
hendur  
marum  
plantar  
corpus  
animal  
autem l  
corpus  
nem, fr  
inter d  
prus, n

prædicatur *genus*, vel de pluribus numero tantum, differentibus, uti prædicatur *species*; quod autem in quale essentialiter prædicatur, est *differentia*. Rursus, quæ accidentaliter prædicantur, vel necessario prædicentur & reciproce, & tunc est *proprium*, vel *contingenter* & non reciproce, & tunc est *accidens*.

## REGULA IV.

*Divisio debet fieri in partes immediatas, ex Aristotele II posterior. t. 75.*

I. Bifariam possunt dici partes divisionis mediata: *I. Inter se*, quando nimirum aliquid sub diviso continetur, quod sub partibus non continetur: ut si dividatur animal in terrestre & aquatile, datur enim animal volatile, quod nec sub terrestri, nec sub aquatili continetur. *II. Respectu ipsius divisi*, quando scilicet partes ipsum divisum non immediate attingunt: quod fit, quando inter divisum & partes intercedunt unus vel plures conceptus, qui comprehenduntur à diviso, & comprehendunt partes: ut si quis divideret corpus animarum, tanquam genus, in brutum, hominem, & plantam, tanquam species: intercedit enim inter corpus animatum, & inter hominem & brutum, animal, quod est species corporis animati, genus autem hominis & bruti. Aut si quis divideret corpus animatum in hominem, brutum, arborem, fruticem & herbam: intercedunt enim, inter divisum & partes dividentes duo conceptus, nempe animal & planta, qui tanquam species

cies

cies sub corpore animatò continentur, & continent, animal quidem hominem & brutum, planta verò reliquas species.

II. Priori modò si in partes mediatas divisio fiat, nullò modò tolerabilis est, quoniã sic partes non adæquantur ipsi diviso. Si posteriori modò fiat, dico, fore 1. ut sæpè partes divisionis resultent admodum multæ, ut patet in divisione corporis animati in hominem, brutum, arborem, fruticem & herbam. Longè plures autè fierent, si locò bruti species ejus, ut equum, bovem, leonẽ &c. poneret. Sic enim infinita ferè membra divisio esset habitura. 2. Ut oriatur confusio & importuna ejusdem repetitio: ut si corpus animatũ dividat in ratione præditũ & ratione destitutũ, in explicatione illius necessariò tibi erit agendum de ratione sentiendi, cum essentialiter in eo, nempe corpore animato ratione prædito, includatur. At verò hic idem conceptus denuò occurret in subdivisio-  
ne corporis animati ratione destituti, quia hoc dividendum esset in sentiens & sensus expers.

III. Nota autem, fieri posse, ut in eadem divisione utròque modò peccetur. Ut si dividatur animal in id, quod *alas integras habet*, & quod *fissas*. Etenim I. in hisce membris non omnia genera animalium continentur, cum detur animal nullas habens alas. II. Inter partes divisionis, nempe animal habens alas integras & habens fissas, & inter ipsum animal, tanquam divisum, da-

tur co-  
tum, q-  
haben  
hujus  
divisu  
in alar  
haben

IV  
sæpè r-  
secun  
proxi

I-  
viden  
nem  
giffic  
rius a  
prim  
imm  
diu  
aut a  
divis  
bra,  
ra, &  
lior  
mur  
con-

tur conceptus intermedius, nempe animal alatum, quod est species animalis, & genus animalis habentis alas integras & fissas. Et sic membra hujus divisionis non attingunt immediatè ipsum divisum. Primum ergò dividendū animal fuerit in alatum, & alis destitutum; & illud vicissim in habens alas integras, & habens fissas.

IV. Docet autem Fonseca *cit. Lib. VI. c. XI.* sapere nos dividere totum in partes remotiores, sive secundò modò mediatas, quod ignotæ nobis sint proxima atque immediata.

## REGULA V.

*Membra divisionis non debent esse admodum multa.*

I. Inconveniens certè esset, si quis animal divideret in *hominem, simiam, equum, leonem, canem* & reliquas species specialissimas, ut sic longissima efficeretur oratio. Quod si alicujus totius admodum multæ sint partes, utendum est primò divisione in pauciores, proximiores seu immediatiores, quarū partiū subdivisiones tandem instituendæ, donec ad species specialissimas, aut alias minimas partes deveniatur. Si enim una divisio per admodum multa constituatur membra, fieri vix potest, quin eadē etiam sint remotiora, & minimè immediata: Videtur præterea facilius reddi cognitio, si subdivisionibus potius utamur, quàm si omnia membra in unam divisionem conjiciamus, quatenus per subdivisiones eorum

CO.

convenientiæ simul & differentiæ nobis innote-  
scunt.

II. Caterùm non ita supersticiosi esse debe-  
m9, ut nullas admittamus divisiones nisi bimem-  
bres. Non veretur Georg. Adamus Brunnerus  
*in synopsi Locor. legal. Loc. V.* scribere, in traden-  
dis divisionibus Jurisconsultos non esse adeo ad-  
strictos Regulis Philosophorum. Ratio ejus est,  
quòd Philosophi abstinere jubeant à divisionib9,  
quæ nõ sint bimembres, cùm tamen Jurisconsul-  
ti plures ferè habeant trimembres & quadrimem-  
bres, quàm bimembres. Verùm injuriã facit Phi-  
losophi: nam apud ipsos multæ eaque celebres  
sunt divisiones, constantes pluribus membris quã  
duobus. Sic Aristoteles *I. Ethic. cap. IIX.* scribit,  
bona esse distributa in tres partes, aliaque *externa*,  
alia *animi*, alia *corporis* dici. Propositionem  
*I Prior. c. I.* dividit in *universalem, particu-  
larem & indefinitam*. Et quid opus est, recensere  
omnes divisiones illas apud Aristotelem & alios  
præstantissimos Philosophos occurrentes?  
Quod si nonnulli ex novatoribus sunt, quibus om-  
nes divisiones, nisi duorum membrorum sint, con-  
sordeant error hic & intemperies non est adscri-  
bendus Philosophis sine discrimine.

III. Ejsdem fatinæ est, quod aliàs sæpè ab il-  
lis, qui artis Logicæ ignari sunt, auditur, nempe  
Jurisconsultos non esse adstrictos in definiendo  
ad Regulas Logicorum. At certè adstricti sunt  
in

in loqu  
nim Ju  
potestas  
dò & d  
sunt: o  
sic Log  
quant u  
hæc ha  
risconf  
di regu  
vidend  
nus reg  
quàm n  
tet, qui  
rà ex m  
in secu

Per

I. D  
Illa est  
opposit  
riè opp  
privati  
vigilia  
genda v  
tur in p  
bris posi  
tionem  
vativa

in loquendō ad regulas Grammaticorum. Non enim jurisconsulto permiffum est, ut dicat, *patres potestas*, aut *nuptie incesti*. E. etiam in dividendō & definiendō ad regulas Logicorum adstricti sunt: quia ut Grammatica est ars docens loqui, sic Logica est ars docens definire & dividere, & quantum juris illa habet in sermonem, tantum hæc habet in definitiones & divisiones. Præterea Jurisconsultis in argumentando non licet transgredi regulas Logicorum. E. nec in definiendo & dividendo quia eadē est ratio, cum Logici sit nō minus regulas definiendi & dividendi proponere, quā modū argumētandi docere. Antecedens patet, quia ipsis nō licet argumentari in primā figurā ex minore negativā, aut majore particulari, nec in secundā ex utrāque præmissarū affirmativā.

## REGULA VI.

*Per negationem non est dividendum.*

I. Duplex est negatio, absoluta & privativa.

Illā est terminus negativus alteri contradictoriē oppositus: ut *non homo*, qui homini contradictoriē opponitur. Hæc est terminus negativus alteri privativē oppositus: ut *sepmus*, qui est privatio vigiliæ. De utrāque negatione Regula intelligenda videtur, & est sensus; *Cum aliquid dividitur in partes, constitutō tēō vel pluribus membris positivis, non esse addendum aliud, quod negationem eorū vel eorum significet, sive illa negatio privativa sit, sive absoluta.*

II.

II. Quod tamen ad divisionem subjecti in accidentia, & similes divisiones extendendum esse non existimo. Quid enim desideratur, si dicatur, *animalium aliud vigilat, aliud dormit*? Et usitata est divisio vocis in *significativam & non significativam*. Et ratio est, quia nihil impedit, quominus negatio sit accidens alicujus. Quod si universalem in species & differentias essentialis dividere velimus, certum est, nullam partem posse esse negativam: negatio enim non est species alicujus positivi, neque ut differentia essentialis illi subicitur.

III. Tribus tamen de causis, (inquit Fonseca *Lib. IV, Inst. c. XII.*) cogimur interdum dividere rem in partem unam, & in negationem alterius partis. Prima est, ut faciamus divisionem necessariam, & quam nemo negare possit: de quacunque enim revera est affirmatio vel negatio. Secunda est, quia sæpe numero reliqua pars, aut partes, ex opposito illis respondentes, carent nominibus positivis, quo fit, ut ad negativas sit confugiendum, ut cum *substantiâ* dividimus in *corpoream*; & *incorporeâ*, *animali* in *rationali* & *irrationali*, quia ignoramus veras differentias, quæ Angelû & brutum constituunt; nisi forte brutû animal est una quædam species animalis. Tertia est, si partes, in quas divisio immediatè faciendâ est, fuerint plures, quàm perspicuitas divisionis pati possit. Tunc enim omnes præter unam significandâ sunt nomi-

ne ne  
nata,  
nomin  
comp  
quada  
vero p

Cujus

I.

nere r  
cessar  
prohi  
medic  
sionis  
specia

II.

contra  
tradid  
lud re  
ut hon  
eti ut  
quitur  
substan  
ter cor  
tivum  
as, qui

ne

ne negativò : ut si dicas *bestiarum alie sunt pennate, alie implumes.* Nisi velis partes quasdam nominare, reliquas verò omnes paucis verbis complecti : ut si dicas : *figurarum rectilinearum, quaedam est trium laterum, quaedam quatuor, alie vero plurium, &c.*

## REGULA VII.

*Cujus divisionis membra continent rationes contradictorias, inter ea non datur medium.*

I. Atqui inquis I. membra non debent continere rationes contradictorias, aliàs alterum necessariò esset negativum, quod præced. Regulâ prohibitum fuit. II. Omnia contradictoria carent medio ; quid ergò opus est, hoc de membris divisionis, rationes contradictorias importantibus, specialiter docere ?

II. Resp. ad I. Aliud est, aliqua esse *formaliter contradictoria*, aliud *continere vel includere contradictoria*, seu *rationes contradictorias*. Ad illud requiritur, ut alterum sit terminus negativus, ut *homo, non homo*. At hoc potest contingere, etsi utrumque sit positivum, quatenus ex uno sequitur negatio alterius : sicut cum *ens* dividitur in *substantiam & accidens*, partes non sunt formaliter contradictoriae, cum utraque sit aliquid positivum, continent tamen rationes contradictorias, quia *accidens est ens in alio* tanquam in subje-

Bbb

ctò,

Ad substantia verò est ens per se existens, h. e. quod nō est in aliō tanquā in subjectō. Hic esse in aliō tanquā in subjectō, & non esse in aliō tanquā in subjectō, contradictoria sunt; ut patet. Sic & animal dividitur in hominē & brutū, quæ membra continent rationes contradictorias quatenus animal rationale homo est, brutum verò animal non rationale.

III. Instas: Hōc modō Regula non erit vera, cū inter membra, rationes contradictorias includentia, medium detur: sicut planta est mediū inter hominem & brutum, cū neque homo sit, neque brutum. Ita enim Chimæra est medium inter substantiam & accidens, cū neque sub illā, neque sub hōc comprehendatur.

IV. Resp. Inter contradictoria formaliter, nullum datur medium, sed sub iis continetur omne ens & non ens: sicut nihil concipi potest, quod non sit homo vel non homo. At inter ea, quæ positiva sunt, continent tamen rationes contradictorias, non datur quidem medium ejus generis, seu quod contineatur sub divisō, cujus illis sunt partes; absolutè tamen inter ea potest dari medium, sed illud medium est extra illud genus sive divisum: & hoc probat argumentum *s. præced.* Planta enim inter hominem & brutum, & Chimæra inter substantiam & accidens medium est, sed ita, ut planta non contineatur sub animali, cujus species sunt homo & brutum; & Chimæra est extra ens reale, quod in substantiam & accidens dividitur.

V.

V. Ratio autem hujus diversitatis est, quod eorum, qua formaliter contradictoria sunt, alterum est simpliciter & pure negatio alterius, ita ut ad omnia se extendat, præter id, cujus est negatio, neque per aliquid positivum restringatur. Alium membrorum divisionis positivorum, qua continent rationes contradictorias, alterum importat negationem alterius, ita ut amplitudo negationis ejus restringatur per ipsū divisum, quatenus quælibet pars divisionis est divisi pars, atque ita negatio illa coarctatur ita, ut extra divisum non porrigatur.

VI. Notandum tamen hîc probè est, non sufficere ad hoc, ut inter membra divisionis non detur medium, quod contineant rationes contradictorias quòvis modo, vel, quod eòdem recidat, quod unum importet negationem alterius. Nam si colorem dividam in albedinem & nigredinem, hæc membra continent rationes contradictorias, cum albedo sit color disgregativus visus, nigredo sit color non disgregativus visus, & nihilotenus inter albedinem & nigredinem dantur colores medii. Requiritur ergo, ut membrum unum ita alterius negationem importet, ut conceptus, constans ex divisio & negatione illâ, cum membro illò reciprocetur, neque sit latior: quemadmodum patet in divisione animalis in hominem & brutum, ubi homo & brutum rationes contradictorias important, quatenus homo est animal rationale, brutum

verò animal non rationale. ubi animal nō rationale cūm brutō reciprocatur; quicquid enim est brutū, est animal non rationale, & quicquid est animal non rationale, est brutum. Idem perspicitur in divisione entis in substantiam & accidens.

VII. Atque hinc manifestum est, cur, etsi nigredo importet negationem contradicentem rationi albedinis, colores tamen dentur intermedii, & nec sub albedine, nec sub nigredine contenti. Ratio nimirum est, quia non est idem, esse nigredinem, & esse colorem non disgregativum visus, h. e. esse colorem non disgregativum visus, non reciprocatur cum nigredine, cūm non omnis color, qui non disgregat visum, sit nigredo.

IIIX. His sic explicatis pro Regulā argumentor ita:

Sicut se habet rationale & non rationale simpliciter ad medium, ita se habent animal rationale & irrationale ad medium, quod sit animal.

Sed inter rationale & non rationale simpliciter non datur medium simpliciter.

E. neque inter rationale & non rationale datur medium, quod sit animal.

E. neque inter hominem & brutum: quia homo & brutum idem sunt, quod animal rationale, ac animal non rationale.

Quod argumentum accommodari potest ad

eujuslibet divisionis membra contradictionem involventia.

IX. Ex dictis jam etiam liquet, quid respondendum sit ad argumentum secundum §. I. Cum enim (1.) non idem sint *contradictoria simpliciter*, & membra alicujus divisionis rationes *contradictorias importantia*, (2.) inter illa nullum planè detur medium, inter hæc verò tantùm non detur medium, quod sub divisõ contineatur, manifestum est, non absque causa hoc de divisione præceptum esse propositum.

*Regularum Philosophicarum*

DISPUTATIO XVI.

continens

REGULAS XIII.

*pertinentes ad doctrinam.*

SUBJECTI ET ACCIDENTIS.

Quia hæcenus Regulas tria priora Prædicabilia, quæ essentialiter prædicantur, concernentes proposuimus, Regulas etiam de Definitione & Divisione, quæ aliquò modò cum istis Prædicabilibus connexasunt, absolvimus; consequens est, ut de *subjectis & accidentibus* aliquid dicamus. Cum autem *accidens præcipuè* hîc sumamus, ut oppositor es-

Bbb 3

sen-